

PETRI RAMI SCHOLARUM  
 MATHematicarum  
 LIB. XV. IN DEFINITIONES  
 SEXTI ELEMENTORUM.



**L**IBER sextus est de proportione & similitudine planorum rectilinearum adhuc explicatorum, & si superiores illi quatuor primi libri geometrici argentei sint, hic aureus esto. Tanto videlicet præstat proportio rationi, & generale, quod hic traditur, speciali antea proposito. E quinque definitionibus duæ sunt arithmeticae secunda & quinta, duæ sunt geometricæ tertia & quarta: prima mista est è logico genere & geometrico. Propositionibus autem triginta duabus explicatur proportio rectilinearum tum communis, ut 21. 22. 25. deinde specialis trianguli, triangulati, quadranguli, multanguli: trianguli propositione 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 15. 19. 32. unde sequuntur de lineis 9. 10. 11. 12. 13. triangulati 18. 20. 31. quadranguli parallelogrammi 24. 26. 27. 28. 29. parallelogrammi æquianguli 14. 23. rectanguli 16. 17. postremo etiam circuli 33. Atque hæc sexti materia est.

1 Similes figuræ rectilineæ sunt quæ & angulos æquos habent sigillatim, & ad æquos angulos latera proportionalia. Prima definitio definit similitudinem figurarum non omnium, sed planarum, nec omnium planarum, sed rectilinearum. Satis autem constat similibus figurarum definitionem geometricis difficilem fuisse. Aliter enim definitur similitudo sectionum circularium 10 d 3: nunc aliter rectilinearum: aliter 21 d 7 similitudo numerorum planorum & solidorum: aliter 9. 10 d 11. similitudo solidorum: aliter 24 d 11. similitudo conorum, & cylindrorum. Generalius autem nihil videtur esse 21 d 7. ut similes figuræ sint idem quod proportionales, sed proportione laterum: quomodo etiam latera ipsa nominantur proportionalia: denique similes figuræ jam nihil aliud sint, quam quæ latera habent proportionalia, ut inde angulorum æqualitas oriatur. At id falsum esse quadratum & rhombus, oblongum & rhomboides arguunt, quæ lateribus proportionalia esse possunt, non autem æquiangula: Neque tamen contrarium magis verum est, ut æqualitas angulorum faciat proportionem laterum: ut quadratum & oblongum sunt rectangula, ideoque æquiangula, neque tamen lateribus proportionalia, id in triangulis tantum verum est. Si æquiangula sunt, sunt etiam proportionalia lateribus, & contra: ut patebit ad 4 & 5 p 6. Quare similitudo duarum inter se figurarum definienda est argumento duplici & æqualium angulorum & laterum proportionalium. Facit æqualitas laterum æqualitatem angulorum, non contra: ut patuit 8 p 1. At hic generaliter neque proportio laterum facit æqualitatem angulorum, neque æqualitas angulorum proportionem laterum. Similitudinis autem & proportionis definitio generalis ad logicam attinet. At similitudo duarum figurarum specialem ejusdem